

# ÉRTEKEZÉSEK

A NYELV- ÉS SZÉPTUDOMÁNYOK KÖRÉBŐL.

KIADJA A MAGYAR TUD. AKADÉMIA.

AZ I. OSZTÁLY RENDELETÉBŐL

SZERKESZTI

## SZINNYEI JÓZSEF

OSZTÁLYTITKÁR.

XX. KÖTET. 6. SZÁM.

## DE EPODO HORATII

## CATALEPTIS VERGILII INSERTO.

SCRIPSIT

## GEYZA NÉMETHY

ACADEMIE LITTERARUM HUNGARICÆ SODALIS.

(*Commentatio in consessu Academiæ Litt. Hung.*

*die 2. Martii a. 1908. recitata.*)

Ára 1 korona.

BUDAPEST.

1908.

## Értekezések a nyelv- és széptudományok köréből.

- I. k. I. Télfy**: Solon adótörvényéről. 20 f. — **II. Télfy**: Adalékok az attikai törvénykönyvhöz. 20 f. — **III. Tárkányi**: A legújabb magyar Szentíásról. 40 f. — **IV. Szasz K.**: A Nibelungének keletkezéséről és gyanitható szerzőjéről. 20 f. — **V. Toldy F.**: Tudománybeli hátramaradásunk okai, s ezek tekintetéből Akadémiánk feladása. 20 f. — **VI. Vámbéry**: A keleti török nyelvről. 20 f. — **VII. Imre S.**: Geleji Katona István főleg mint nyelvész. 60 f. — **VIII. Bartalus**: A magyar egyházak szertartásos énekei a XVI. és XVII. században. Hangjegyekkel. 1 K 20 f. — **IX. Toldy**: Adalékok a régibb magyar irodalom történetéhez. 1 K 20 f. — **X. Brassai**: A magyar bővített mondát. 40 f. — **XI. Bartalus I.**: A felsőaustriai kolostoroknak Magyarországot illető kézirat- és nyomtatványairól. 40 f. (1867—1869.)
- II. k. I. Mátray G.**: A Konstantinápolyból legejebb érkezett négy Corvin-codexről. 20 f. — **II. Szász K.**: A tragikai felfogásról. 40 f. — **III. Joannovics**: Adalékok a magyar szóalkotás kérdéséhez. 40 f. — **IV. Finály**: Adalékok a magyar rokonértelmű szók értelmezéséhez. 40 f. — **V. Télfy**: Solomos Dénes költeményei és a hétszigeti görög népnyelv. 40 f. — **VI. Zichy A.**: Q. Horatius satírái. 40 f. — **VII. Toldy**: Ujjabb adalékok a régibb magyar irodalom történetéhez. 80 f. — **VIII. Gr. Kuun G.**: A sémi magánhangzókról és megjelölésük módjairól. 40 f. — **IX. Szilády**: Magyar szófejezetések. 20 f. — **X. Szenássy S.**: A latin nyelv és dialektusai. 60 f. — **XI. Szilády Áron**: A defferekről. 40 f. — **XII. Szvorényi J.**: Emlékbeszéd Árvay Gergely felett. 20 f. (1869—1872.) — **III. k. I. Brassai**: Commentator commentatus, Tarlózatok Horatius satíráinak magyarázóján. 80 f. — **II. Szabó K.**: Apáczai Cséri János Barcsai Ákos fejedelemhez benyújtott terve a magyar hazában felállítandó első tudományos egyetem ügyében. 20 f. — **III. Szabó I.**: Emlékbeszéd Bitnitz Lajos felett. 20 f. — **IV. Vadnai**: Az első magyar társadalmi regény. 40 f. — **V. Finály**: Emlékbeszéd Engel József felett. 20 f. — **VI. Barna F.**: A finn költészetről, tekintettel a magyar ősköltészetre. 80 f. — **VII. Riedl Sz.**: Emlékbeszéd Schleicher Ágost, kiülső l. tag felett. 20 f. — **VIII. Dr. Goldziher I.**: A nemzetiségi kérdés az araboknál. 60 f. — **IX. Riedl Sz.**: Emlékbeszéd Grimm Jakab felett. 20 f. — **X. Gr. Kuun G.**: Adalékok Krim történetéhez. 40 f. — **XI. Riedl Sz.**: Van-e elfogadható alapja az ik- és igék külön ragozásának. 40 f. (1872—1873.)
- IV. k. I. Brassai**: Paraleipomenai diorthomena. A mit nem mondattak s a mit rosszul mondattak a commentatorkor Virgilius Aeneise II-ik könyvről különös tekintettel a magyarrá. 80 f. — **II. Bálint G.**: Jelentése Oroszország- és Ázsiai utazásáról és nyelvészeti tanulmányairól. 40 f. — **III. Bartal A.**: A classica philologiának és az összehasonlitó árja nyelvtudománynak mivelése hazánkban. 80 f. — **IV. Barna F.**: A határozott és határozatlan mondatról. 40 f. — **V. Dr. Goldziher I.**: Jelentés a m. t. Akadémia könyvtára számára keletről hozott könyvekről, tekintettel a nyomdai viszonyokra letenek. 40 f. — **VI. Hunfalvy P.**: Jelentések: I. Az orientalistáknak Londonban tartott nemzetközi gyűléséről. — **II. Budenz J.**: A németországi philologok és tanférfiak 1874-ben Innsbruckban tartott gyűléséről. 30 f. — **VII. Fogarasi J.**: Az új szókról. 30 f. — **VIII. Toldy F.**: Az új magyar orthologia. 30 f. — **IX. Barna F.**: Az ikes igékről. 30 f. — **X. Szarvas G.**: A nyelvujításról. 30 f. (1873—1875.) — **V. k. I. Barna F.**: Nyelvészük hajlamok a magyar népnél. 50 f. — **II. Brassai S.**: A neo- és paleologia ügyében. 60 f. — **III. Barna F.**: A hangsulyról a magyar nyelvben. 60 f. — **IV. Ballagi M.**: Brassai és a nyelvujítás. 30 f. — **V. Szász K.**: Emlékbeszéd Kriza János l. t. felett. 50 f. — **VI. Bartalus I.**: Művészet és nemzetiség. 40 f. — **VII. Télfy I.**: Aeschylus. 1 K 60 f. — **VIII. Barna F.**: A mutató névmás hibás használata. 20 f. — **IX. Imre S.**: Nyelvtörténelmi tanulások a nyelvujításra nézve. 1 K 20 f. — **X. Arany L.**: Bérczy Károly emlékezete. (1875—1876.) — **VI. k. I. Mayr A.**: A lágy aspiraták kiejtéséről a zendben. 20 f. — **II. Bálint G.**: A mandsuk szertartásos könyve, 20 f. — **III. Dr. Barna I.**: A rómaiak satírájáról és satirairőkről. 40 f. — **IV. Dr. Goldziher I.**: A spanyolországi arabol helye az iszlám fejlődése történetében. összehasonlítva a keleti arabokéval. 1 K. — **V. Szilágyi I.**: **II. Vaszary K.** **III. Révész I.** 1 K 20 f. — **VII. Bartalus**: Emlékbeszéd Mátray Gábor l. t. felett. 20 f. — **VIII. Barna**: A mordvaiak történelmi viszontagságai. 40 f. — **IX. Télfy**: Eranos. 40 f. — **X. Joannovics**: Az ik- és igékről. 80 f. (1876.) — **VII. k. I. Barna F.**: Egy szavazat a nyelvujítás ügyében. 1 K. — **II. Budenz J.**: Podhorszky Lajos magyar-sinai nyelvhasonlítása. 20 f. — **III. Zichy A.**: Lessing. 40 f. — **IV. Barna F.**: Kapcsolat a magyar és szuomi

DE EPODO HORATHI  
CATALEPTIS VERGILII INSERTO.

SCRIPSIT

GEYZA NÉMETHY

ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ SODALIS.

(*Commentatio in consessu Academiae Litt. Hung.  
die 2. Martii a. 1908. recitata.*)

BUDAPESTINI  
SUMPTIBUS ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ  
MCMVIII.

FRANKLIN-TÁRSULAT NYOMDÁJA

## De epodo Horatii Cataleptis Vergilii inserto.

Inter Catalepta Vergilii, Academia Amplissima!, sub numero XIII. legitur epodus, quem Vergilio tribui non posse vel ex eo elucet, quod auctor vss. 1—4. se terra marique militasse gloriatur. *Hoc carmen* ab editoribus Vergilii huc usque neglectum *Horatio vindicandum esse* censeo.

Horatiana enim est primum forma metrica a nullo alio poeta usurpata, trimeter iambicus cum dimetro iunctus, de quo Horatius Epist. I. 19, 23—25 :

... Parios ego primus iambos  
Ostendi Latio, numeros animosque secutus  
Archilochi, non res et agentia verba Lycamen.

Deinde vss. 1—4. huius epodi:

Iacere me, quod alta non possim, putas,  
Ut ante, vectari freta  
Nec ferre durum frigus aut aestumi pati  
Neque arma victoris sequi,

mirum in modum congruunt cum Hor. Carm. II. 6, 5—8:

Tibur Argeo positum colono  
Sit meæ sedes utinam senectæ,  
Sit domus lasso maris et viarum  
Militiæque;

agitur enim utrobique de bellis terra marique gestis et de labo-ribus longarum viarum. Elocutio autem epodi, quod infra ex adnotationibus elucebit, adeo Horatiana est, ut quivis pæne versus commode possit cum aliquo loco Horatiano conferri.

Sed, quod maximi est momenti, Horatius ipse hoc carmen sibi vindicat iniecta, ut ita dicam, manu Epod. 17, 56—59., ubi Canidia benefica ita minatur poetæ :

Inultus ut tu riseris *Cotyttia*  
Volgata, *sacrum liberi Cupidinis,*  
Et Esquilini pontifex benefici  
Impune ut urbem nomine impleris meo ?

Poeta hoc loco vss. 58—59., ut inter omnes interpretes constat, alludit ad Sat. I. 8., ubi agitur de Canidia in Esquilino magica sacra faciente ; vss. autem 56—57. mea quidem sententia referendi sunt ad vss. 19—22. huius epodi:

Non me vocabis spurca per *Cotyttia*  
Ad *feriatos fascinos,*  
Nec te movere lumbulum in crocotula  
Prensis videbo altaribus.

Canidia igitur duas res obicit Horatio : primum, quod Sat. I. 8. beneficium suum Esquiline omnibus notum fecerit, deinde, quod hoc epodo mysteria Cotytta deriserit atque vulgaverit.

Præterea etiam Sat. I. 8. Horatius ad hoc ipsum carmen alludit. Legimus enim vss. 37—39. satiræ laudatæ (verba Priapi in Mæcenatis horto stantis) :

Mentior at si quid, merdis caput inquieri albis  
Corvorum atque in me veniat mictum atque cacatum  
†*Iulus*† et fragilis *Pediatio* furque Voranus,

ubi Porphyrio, scholiasta Horatii, (ad vs. 39.) hæc adnotat : « *Pediatus* eques Romanus honesto patrimonio consumpto etiam castitatem †*moris amiserat*† et indulgentia parentum mollis evaserat, ut omnem libidinem cum voluptate pateretur. Propter quod eum Horatius *feminino nomine Pediatiām*, non *Pediatiūm* appellavit; ob eandem causam et *fragilem* dixit, id est mollem. » *Agitur* autem in hoc epodo de eodem *Pediatio* equite Romano, quem Cæsar Octavianus in sollemni equitum probatione *improbare*, i. e. ordine equestri movere debeat propter mores impuros, cf. vss. epodi 9—10 :

Quid, impudice et *improbande* Cæsari,  
Seu furtæ dicantur tua;

qui patrimonium suum helluando consumpsit, cf. vss. 11—12:

Et helluato sera patrimonio  
In fratre parsimonia;

qui puerilibus annis, a parentibus certe parum diligenter custoditus, inter viros convivia celebrans constupratus est, cf. vss. 13—16:

Vel acta puero cum viris convivia  
Udæque per somnum nates  
Et inscio repente clamatum super:  
Talasio, Talasio;

qui cinædus evaserat, ut omnem libidinem cum voluptate pateretur, cf. vss. 19—24:

Non me vocabis spurca per Cotyttia  
Ad feriatos fascinos,  
Nec te movere lumbulum in crocotula  
Prensis videbo altaribus  
Flavumque propter Thybrim olentes nauticos  
Vocare . . .

Hunc igitur equitem Romanum Horatius Sat. I. 8, 39.  
*Pediatiam*, non *Pediatum* appellat, quia iam in hoc epodo *feminam* eum nominavit vs. 17:

Quid palluisti, *femina*? An ioci dolent?

Quin etiam loci corrupti Horatii et scholiastæ Porphyrionis maxima cum verisimilitudine possunt collatione huius epodi emendari. Nam Sat. I. 8, 38—39:

... atque in me veniat mictum atque cacatum  
†*Iulus*† et fragilis Pediatia furque Voranus,

procul dubio corruptum est et ab omnibus editoribus cruce notatur *Iulus* rectissimeque dicit Kiessling in editione sua: «*Iulus*, das vornehmste Gentile der Zeit, ist zur Bezeichnung eines verkommenen Menschen platterdings unmöglich.» Cum autem Porphyrio in adnotationibus suis nomina Pediatii et Vorani optime explicet, contra de Iulio nullam faciat mentionem, Sat. I.

8, 39. *non fuisse olim tria nomina propria iure suspiceris. Notandum deinde a Porphyrione non solum mollitem Pediatii, sed etiam patrimonium ab eo consumptum commemorari, unde etiam apud Horatium de helluatione Pediatii quidquam olim lectum fuisse sponte sequitur. Scribendum igitur:*

... atque in me *veniat* mictum atque cacatum  
**Helluo\*) vel** fragilis, Pediatia, furve Voranus,

*ubi helluo opponitur furi, sicut Pediatius Vorano, conferendusque vs. 10. huius epodi: «Et helluato . . . patrimonio» Helluo fragilis i. e. mollis et impudicus, ut Cic. Agr. I. 7: «impurus helluo» et Cic. De dom. 25: «helluo spureatissimus»; ad parallelismum (helluo — fur, Pediatia — Voranus) cf. Hor. Sat. I. 8, 11: «Pantolabo scurræ Nomentanoque nepoti» i. e. helluoni. Pro et et que autem scriptum fuisse vel\*\*) et ve verisimile fit ex eo, quod vs. 38. in codicibus veniat reperitur, non veniant.*

Apud Porphyriонem denique corrupta sunt: «etiam castitatem +moris amiserat†», ubi certe non agitur de castitate Pediatii amissa; nam corruptum fuisse puerum Pediatium propter indulgentiam parentum postea commemoratur, unde eum non patrimonio consumpto, sed multo ante vivis parentibus castitatem amisisse elucet. Quare pro *moris amiserat* scribendum sororis vendiderat conferendique vss. 7—8. huius epodi:

Per prostitutae turpe contubernium  
Sororis — o quid me incitas?

Restat igitur, auditores doctissimi, ut totum epodium ex his rebus nunc primum detectis explicare atque interpretari temptemus. Quam ob rem ex recensione mea hic sequitur carmen adnotationibus exegeticis et criticis instructum atque versione Hungarica. Dulcis enim lingua nostra sit prima, in quam *Horatii epodus duodecimetus* — nam huc usque septemdecim erant noti — pristino sensui redditus convertitur. Potest certe hoc poema in Hungaricum ita transferri, ut rerum obscenitas mitigetur, remaneat tamen vis sententiarum vere Archilochea.

---

\*) Scribitur etiam *elluo* et *eluo*, quod ad *Iulus* proxime accedit.

\*\*) An scribendum potius **seu**?

**Q. HORATHI FLACCI**

**EPODUS XVIII.**

## IN PEDIATIUM EQUITEM ROMANUM.

Iacere me, quod alta non possim, putas,  
    Ut ante, vectari freta  
Nec ferre durum frigus aut æstum pati  
    Neque arma victoris sequi.  
5   Valent, valent mihi ira et antiquus furor  
    Et lingua, qua par sim tibi.  
Per prostitutæ turpe contubernium  
    Sororis, o quid me incitas?  
Quid, impudice et improbande Cæsari,  
10   Seu furta dicantur tua  
Et helluato sera patrimonio  
    In fratre parsimonia  
Vel acta puero cum viris convivia  
    Udæque per somnum nates  
15   Et inscio repente clamatum super:  
    Talasio, Talasio!  
Quid palluisti, femina? An ioci dolent?  
    An facta cognoscis tua?  
Non me vocabis spurca per Cotyttia  
20   Ad feriatos fascinos,  
Nec te movere lumbulum in crocotula  
    Pensis videbo altaribus  
Flavumque propter Thybrim olentes nauticos  
    Vocare, ubi adpulsæ rates  
25   Stant in vadis cæno retentæ turbido  
    Macraque luctantes aqua;

## PEDIATIUS RÓMAI LOVAGHOZ.

Gyávának tartasz-é, mert nincs módomba már  
Hajóni a nyilt tengeren  
S túrvén kemény fagyot s a forró nap hevét  
Követni a győztes taborát?  
De él még bennem, él a harag s a régi düh  
S van nyelvem megvívnom veled. 5  
Testvérhugodra, kit te hitvány ágyasul  
Eladtál, oh mért ingerelsz,  
Parázna rongy, kit a rendből Cæsar kidob,  
Ha megérti tolvajságidat  
S hogy mint akartad eldorbézolt jussodat 10  
Öcséden, késön, venni meg;  
Egykor hogy ittál, ferfiak között gyerek,  
Midön megestél részegen,  
S a még alvó fölött hangzott a nászi dal:  
Talasio, Talasio! 15  
Mért sáppadsz, asszony? Bánod már szerelmeid?  
Ráismersz bűneidre már?  
Nem csalsz te engem czéda latraid közé  
Cotytto ocsmány ünnepén,  
Mikor szent tánczban a faracskád mozgatod 20  
Selyemruhácskát öltve föl;  
Nem látlak hívni a szagos matrózokat  
A szöke Thybris partjain,  
Hol piszkos sárban ott rekednek a hajók  
S küzködnek a sekély vizen; 25

Neque in culinam ad uncta novendialia  
Dapesque duces sordidas,  
Quibus repletus ut salivosis labris  
Obesam ad uxorem redis,  
Exæstuantis dente solvis pantices  
Udisque lambis saviis.  
Nunc læde, nunc lacesse, si quicquam vales !  
Et nomen adscribo tuum :  
Cinæde Pediati, tuæ liquere opes  
Fameque genuini crepant.  
Videbo habentem præter ignavos nihil  
Fratres et iratum Iovem  
Scissumque ventrem et hirneosi patrui  
Pedes inedia turgidos.

Se nem viszel kilencz napos sírok közé  
Fölfalni a holtak ételét,  
Mivel ha jól laktál s a nyálad folymi kezd,  
Elhízott nödhöz visszatérsz  
S fogaddal ösztökélve vágyait, vele,  
Mint lánynal lány, bujálkodol.  
Most sértegess, silány, most ingerelj, ha tudsz!  
Versemben állni fog neved:  
Elúszott pénced, szajha Pediatus,  
S éhségtől csattog a fogad.  
Megérem, mid se lesz, csupán a sorsharag  
És ingyenélő véreid,  
Repedt tested meg vérná bátyád sérvése és  
Ínségtől görcsös lábai.



## ADNOTATIONES.

*Liber in adversos hostes stringatur iambus.*  
Ovid. Rem. 377.

## ADNOTATIONES.

V. 1—2. *Iacere me . . . putas*, infirmum atque imbellem esse opinaris; ut Tibull. I. 4, 31—32: «Quam *iacet*, infirmæ venere ubi fata senectæ, Qui prior Eleo est carcere missus equus» et ibid. II. 5, 109—110: «*iaceo* cum saucius annum Et faveo morbo.» Cf. etiam Propert. I. 6, 25: «Me . . . quem voluit semper fortuna *iacere*.» Videtur Horatius a Pediatio, dignitate equitis Romani elato, iurgio laccessitus esse, quod olim victas partes esset secutus libertinoque patre natus legioni Romanæ imperitasset tribunus, unde infra vs. 33: «Nunc læde, nunc lacesse.» Cf. Hor. Sat. I. 6, 45—50: «Nunc ad me redeo libertino patre natum, Quem rodunt omnes libertino patre natum, Nunc quia sim tibi, Mæcenas, convictor, at olim, Quod mihi pareret legio Romana tribuno.» Quod Horatius certe ægre ferebat eo potissimum tempore, cum ex bello, ubi iam tribunus fuerat iusque sibi adquisiverat ad honores summos adipiscendos, inter victos rediens agroque paterno veteranis triumvirum adsignato spoliatus scriptum quaestorium sibi comparare coactus est. Cf. Hor. Epist. II. 2, 47—52: «Civilisque rudem belli tulit æstus in arma Cæsaris Augusti non responsura lacertis, Unde simul primum me dimisere Philippi, Decisis humilem pennis inopemque paterni Et laris et fundi paupertas impulit, audax Ut versus facerem.» Simile quid ei evenisse videtur iam in castris Brutii; cf. Porphyr. ad Hor. Sat. I. 7, 1: «P. Rupilius cognomine Rex, Prænestinus . . . proscriptus a triumviris confugit ad Brutum et inter comites habitus est. Ibi militantem Horatium Flaceum iurgio laccessivit, propter quod amaritudinem stili poeta in eum strinxit.» Ut igitur P. Rupilium ultus est scribendo in eum Sat. I. 7., ita invetus est hoc epodo in Pediatiū. — *Ut ante, vec-*

*tari fretu*, ut olim (a. 42. a. Chr. n.) bello Philippensi, quo classis Bruti stationem habebat Neapoli, in portu Philipporum, et perpetuo navigabat inter hunc portum et insulam Thasi, unde commeatus castris advehebantur. Videtur igitur Horatius una cum Pompeio Varo aliquamdiu expeditionibus maritimis, deinde in terram egressus pugnae ultimæ Philippensi interfuisse; post cladem autem acceptam Horatius se dedidit Octaviano, Pompeius Varus per mare effugiens Sexto Pompeio se adiunxit. Cf. Hor. Carm. II. 7, 1. sqq.: «O sæpe mecum tempus in ultimum Deducte Bruto militiae duce... Pompei, meorum prime sodalium... Tecum Philippos et celerem fugam Sensi... Sed me per hostes Mercurius celer Denso paventem sustulit aere: Te rursus in bellum *resorbens Unda* fretis tulit æstuosis.» Ergo Pompeium *resorbuit* mare, i. e. iterum concedit navem, unde prius in terram egressus erat; contra Horatius non potuit aut noluit effugere ex pugna Philippensi, ut illi, de quibus Cas. Dio XLVII. 49: ἐπὶ τὴν Θάλασσαν διέφυγον καὶ μετὰ τοῦτο τῷ Σέξτῳ προτάθεντο. Ceterum Horatium etiam in classi meruisse elucet ex Carm. II. 6, 5—7: «Tibur Argeo positum colono Sit meæ sedes utinam senectæ, Sit domus *lasso maris*.» — *vectari freta*, accusativus, ut Verg. Aen. III. 191: «vastumque cava trabe currimus æquor.»

V. 3—4. *Nec ferre durum frigus aut aestum pati*, versum ante oculos habuisse videtur auctor Catal. (Pseudovergil.) IX. 45: «Immoderata pati iam frigora iamque calores.» — *Nec ferre durum frigus*, referendum ad celeberrimam Bruti expeditionem hibernam (a. 43. a. Chr. n.), cum Athenis profectus media hieme per Illyriam exercitum duxit Dyrrachio usque ad Apolloniam (cf. Plutarch. Quæst. Conv. VI. 8, 2. et Brut. 25.), ubi C. Antonium, triumviri fratrem, ad ditionem (cf. Appian. B. C. III. 79.) coegit. Athenis Bruto se adiunxit, relictis studiis philosophiæ, Horatius; poterat igitur huic expeditioni interesse. — *aestum pati*, referendum ad bellum Philippense æstate anni 42. a. Chr. n. inceptum, cum Brutus et Cassius exercitum duxerunt Sardibus terrestri ifinere Abydum, unde ad Chersonesum Thraciam traiicientes eadem, qua olim Xerxes, via brevissimo tempore pervenerunt Philippos: cf. Appian. B. C. IV. 87—88. — *arma victoris sequi*, ut Verg. Aen. III, 54: «Res Agamemnonias

victoriaque arma secutus.» Cf. Tibull. II. 6, 1: «Castra Macer sequitur»; Ov. Am. III. 8, 27: «trepidas acies et fera castra sequi»; Lucan. X. 407: «Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur.» Ceterum, quæ Horatius vss. 1—4. huius epodi commemorat, id est expeditiones maritimas, itinera terrestria longinqua et militandi labores, eadem breviter tetigit postea Carm. II. 6, 5—8: «Tibur Argeo positum colono Sit meæ sedes utinam senectæ, Sit domus lasso maris et riarum Militiaeque.» — *rictoris*, Brut. Nam Brutus, C. Antonio devicto Macedoniaque occupata, ut Cass. Dio. XLVII. 25. docemur: ἐς τὰ νομίσματα, ἀ ἐκόπτετο, εἰκόνα τε αὐτοῖς καὶ πιλίους, ξυφίδιά τε δύο ἐνετόπου· δηλῶν ἐξ τε τούτου καὶ διὰ τῶν γραμμάτων, διὰ τὴν πατρίδα μετὰ τοῦ Κατσίου ἡλευθερηκώς εἴη. In ephemeride autem *Berliner Philologische Wochenschrift* (a. 1888. p. 1043.) descriptus est nummus aureus, ubi conspicitur Brutus imago corona laurea, victoriæ signo cincta et tropæum inter duo rostra, ex quo etiam Brutum ipsum elatum fuisse belli navalis a se gesti gloria patet, quare expeditiones maritimas ab Horatio hoc loco commemorari non est mirum. Unde etiam id eluet, cur Horatius hoc carmen in libro epodon publici iuris facere non potuerit. Nam Brutum victorem appellando lectores commonefecisset summi dedecoris Octavianus Cæsar, pugnae Philippensis primæ, de qua Suet. Octav. 13.: «(Octavianus) inita cum Antonio et Lepido societate Philippense quoque bellum, quamquam invalidus atque æger, duplice prælio transegit, quorum priore *castris exutus* vix ad Antoni cornu *fuga* evaserat»; Plin. N. H. VII. 147—148: «In divo quoque Augusto ... magna sortis humanæ reperiantur volumina ... Philippensi prælio morbi *fuga* et *triduo in palude* ægroti et (ut fatentur Agrippa et Mæcenas) aqua subter cutem fusa turgidi *latebra*»: Plut. Brut. 42. (de prima pugna Philippensi): Κατέσφερος οὐδαμοῦ φανερὸς τινος. Neque mirum est Horatium Mæcenati Augustoque nondum conciliatum aliter hic atque postea de bello Philippensi loqui; iocatur certe Carm. II. 7, 9—12: «Tecum Philippos et celerem fugam Sensi relicta non bene parvula, Cum fracta virtus et minaces Turpe solum tetigere mento.» Sed Epist. I. 20, 20—23., multo post bella civilia tempore, cum iam non erat ei timendum, ne Augustum læderet, iterum, sicut hoc loco, serio gloriatur bellica virtute: «Me liber-

tino natum patre et in tenui rei Maiores pennis nido exten-  
disse loqueris, Ut quantum generi demas, *virtutibus* addas: *Me  
primis urbis belli placuisse domique.*» Qui enim erant primi  
illi urbis, quibus poeta in bello placuit? Brutus certe et Cassius.  
Optime igitur dixit olim magnus ille *Lessing* (ed. Lachm. IV.  
p. 26.): «Horaz war ein junger Mensch ohne Ahnen und Ver-  
mögen, und dennoch gelangte er gleich Anfangs zu der Würde  
eines Tribuns. Ist es also nicht klar, dass Brutus persönliche  
Eigenschaften in ihm müsse entdeckt haben, welche den Mangel  
an Ahnen und Vermögen ersetzen? Was konnten diese aber  
für Eigenschaften sein, wenn es nicht entschiedener Muth und  
eine vorzügliche Fähigkeit zur Kriegskunst wären?»

V. 5—6. *Valent, valent mihi ira, saepius commemorat Horatius iraeundiam suam*; cf. Sat. II. 3, 323: «Non dico horren-  
dam rabiem», Carm. III. 9, 22—23: «improbo Iracundior Hadria», Epist. I. 20, 25. «Irasci celerem.» Ceterum *ira* est fons poeseos iambicæ; cf. Carm. I. 16, 1—9: «O matre pulchra filia pulchrior, Quem criminosis cumque voles modum Pones *iambis*, sive flamma, Sive mari libet Hadriano. Non Dindymene, non adytis quatit Mentem sacerdotum incola Pythius, Non Li-  
ber æque, non acuta Si geminant Corybantes aera, *Tristes ut irae.*» — *antiquus furor*, quo olim in bello civili duce Bruto pugnaveram. Cf. Hor. Carm. III. 14, 21—28. (ad servum suum): «Dic et argute properet Neærae Murreum nodo cohibere crinem: Si per invisum mora ianitorem Fiet, abito. Lenit albescens animos capillus Litium et rixæ cupidos protervæ: Non ego hoc ferrem *calidus iuventa Consule Plancio*», ubi mentione consulis Planci alludit ad annum 42. a. Chr. n., i. e. ad tempus belli Philippensis. Vult igitur dicere: «Nunc æquo animo fero iniuriias, sed olim belli civilis tempore nemo me impune lacessere potuisset iuventute fervidum.» — *furor*, eodem nomine notat bellum civile Carm. IV. 15, 17—18: «non *furor Civilis* aut vis exiget otium»; cf. etiam Epist. II. 2, 47. (de se ipso): «*Cirilisque* rudem belli tulit *aestus* in arma.» Ceterum *furor* est proprius iambis, unde A. P. 79: «Archilochem proprio *rabies* armavit *iambo*» et Carm. I. 16, 22—25: «me quoque pec-  
toris Temptavit in dulci iuventa Fervor et in celeres *iambos*  
Misit *furentem.*» — *Et lingua*, rem enim habet cum homine

ignavo, qui lingua tantum maligna valet; est igitur cum eo lingua pugnandum. — *qua par sim tibi*, codex Bruxellensis habet: «*qua assim tibi*»; ego emendavi: *par sim*, i. e. *qua me tibi parem præstabō*. *Origo corruptelæ*: pro *parsim* legebatur *passim*. An scribendum assurgam, ut contrarium sit *præcedenti iacere* (vs. 1.)? Cf. Verg. Aen. X. 94—95: «*nunc sera querelis Haud iustis assurgis et irrita iurgia iactas*».

V. 7—8. *Per prostitutæ*, codices habent *Et prostitutæ*, ubi Ribbeck pro *Et* rectissime coniecit Per; ut enim homines obtestari aliquem solent per caput fratrum aut sororum eius, ita hoc loco Horatius acerba cum ironia per contubernium sororis Pediati*i* iurat. — *prostitutæ turpe contubernium Sororis*, agitur de sorore Pediati*i*; cf. Porphyr. ad Hor. Sat. I. 8, 39: «*Pediati*e*s eques Romanus honesto patrimonio consumpto etiam castitatem sororis vendiderat*» — *turpe contubernium*, agitur enim de concubinatu indigno sororis equitis Romani. Videtur igitur Pediati*s* virginitatem sororis diviti cuidam magno pretio vendidisse. — *contubernium*, opponitur connubio iusto: concubinus, ut Curt. Ruf. V. 5, 20. — *o quid me incitas*, similiter dicit Horatius Epod. 6, 1—4. et 11—12: «*Quid immerentes hospites vexas, canis Ignavus adversum lupos? Quin huc inanes, si potes, vertis minas Et me remorsurum petis?... Cave cave: namque in malos asperimus Parata tollo cornua.*» Ante oculos habuit Catull. 40, 1—2: «*Quænam te mala mens, miselle Ravidæ, Egit præcipitem in meos iambos?*»

V. 9—10. *impudice*, i. e. *cinaede*, ut Catull. 29, 1—5: «*Quis hoc potest videre, quis potest pati, Nisi impudicus et vorax et aleo,*\*) Mamurram habere, quod comata Gallia Habebat ante et ultima Britannia? *Cinaede* Romule, hoc videbis et feres?» Cf. etiam Catull. 16, 1—4: «*Pedicabo ego vos et inrumbabo, Aureli pathice et cinaede Furi, Qui me ex versiculis meis putastis, Quod sunt molliculi, parum pudicum?*» et Hor. Epist. I. 20, 3. (ad libellum suum cum puero delicato comparatum): «*Odisti claves et grata sigilla pudico.*» — *improbande Caesari, Seu etc.*, quem Cæsar Octavianus in sollemni equitum Romanorum probatione ordine equestri movere debebit, si facta

\*) Legendum fortasse *eluo* i. e. *helluo*.

eius compererit. Cf. Val. Max. II. 2, 9: «Equestris vero ordinis iuventus omnibus annis bis Urbem spectaculo sui sub magnis auctoribus celebrat, die Lupercalium et *equitum probationem*»; Ov. Trist. II. 89—90. (ad Augustum de se equite Romano): «At, memini, vitamque meam moresque *probabas* Illo, quem dereras, prætereuntis equo»; Suet. Claud. 16. (de censura Claudi): «Recognitione equitum iuvenem probri plenum, sed quem pater *probatissimum* sibi affirmavit, sine ignominia dimisit.» *Improbari* autem dicebantur, qui in hac recognitione a censore aut ab alio magistratu munere censoris fungente notabantur; cf. Sueton. Octav. 39. (de Octaviano censorem agente): «unumquemque equitum rationem vitæ reddere coegit atque ex *improbatis* alios pœna, alios ignominia notavit, plures admonitione.» Post longum intervallum censores creati sunt a triumviris a. 42. a. Chr. n. ante pugnam Philippensem; postea Octavianus ipse sæpiissime summa cum severitate fungebatur munere censoris; cf. Sueton. Octav. 37: «Nova officia (Augustus) excogitavit . . . triumviratum legendi senatus et alterum recognoscendi turmas equitum, quotiensque opus esset»; ibid. 38: «Equitum turmas frequenter recognovit post longam intercapelinem reducto more *traventionis*»; ibid. 39: «notavitque aliquos (ex equitibus), quod pecunias levioribus usuris mutuati graviore fenore collocassent.» — *improbande*, cf. Hor. Epop. 5, 8: «Per improbatum hæc Iovem.» — *furta . . . tua*, furtum obicit einædo Thallo etiam Catull. 25, 6—9., quod carmen Horatius in hoc epodo ante oculos habuit: «Remitte pallium mihi meum, quod involasti, Sudariumque cætabum catagraphosque Thynos, Inepte, quæ palam soles habere tamquam avita, Quæ nunc tuis ab unguibus reglutina et remitte»; eodem modo Catull. 33, 1—2: «O furum optime balneariorum, Vibenni pater et *cinaede* fili.» Talia furta commisit fortasse etiam Pediatius. Furtum et impudicitiam, ut hoc loco, etiam Epist. I. 16, 36. et 38. una commemorat Horatius: «Idem, si clamet *furem*, neget esse *pudicum*, Mordear opprobriis falsis?» — *dicantur*, sc. Cæsari munere censorio fungenti.

V. 11—12. *helluato . . . patrimonio*, habuit enim Pediatius patrimonium honestum, quod helluatione perdidit; cf. Hor. Sat. I. 8, 39: «*Helluo vel fragilis, Pediatia*» et Porphyr. ad Hor. Sat.

I. 8, 39: «Pediatus eques Romanus honesto patrimonio consumpto.» Horatius ante oculos habuit Ciceronis (Pro Sest. 26.) verba in L. Calpurnium Pisonem: «Me ipsum ut contempsit helluo patriæ! Nam quid ego patrimonii dicam, quod ille totum, quamvis quæstum (sc. corpore!) faceret, amisit» et Cic. Agr. I. 1: «ut impurus helluo turbet rem publicam . . . ut fit non minus in populi Romani patrimonio nepos quam in suo» et Cic. De dom. 25: «helluoni spurcatissimo . . . homini egentissimo et facinerosissimo, Sexto Clodio.» — *helluato*, helluatione consumpto; cf. Catull. 29, 16—17: «Parum expatravit an parum *helluatus* est? Paterna prima lancinata sunt bona»; Gell. N. A. II. 24, 11: «cum . . . plerique in patrimonii amplis *helluarentur* et familiam pecuniamque suam prandiorum conviviorumque gurgitibus proluissent.» Notandum autem apud Horatium, ut etiam apud Catullum, transitivus huius verbi sensus. — *sera* . . . *In fratre parsimonia*, videtur Pediatus fratres minores non ita, ut equitem Romanum decebat, educandos curavisse; unde infra vss. 37—38: «Videbo habentem praeter ignavos nihil *Frates*.» Ignavi scilicet fratres Pediati facti sunt, cum nihil honesti dicidissent. Contrarium laudat Hor. Carm. II. 2, 5—6: «Vivet extento Proculeius ævo Notus in fratres animi paterni.» — *sera* . . . *parsimonia*, sordida enim in fratrem avaritia non compensabatur helluatio pristina Pediati; cf. Hesiod. Opp. 369: δειλὴ δὲ ἐνὶ πόθμον φειδῶ et Senec. Epist. 1, 5: «Sera parsimonia in fundo est», i. e. cum nummus iam in imo fundo areæ est, cum iam admodum pauci nummi sunt in area.

V. 13—16. *acta puero cum viris convivia*, parentes enim Pediati parum diligenter custodierunt pudicitiam filii; cf. Porphyr. ad Hor. Sat. I. 8, 39: «Pediatus eques Romanus . . . indulgentia parentum mollis evaserat, ut omnem libidinem cum voluptate pateretur.» — *Udaeque per somnum nates*, viri igitur puerum Pediati inebriatum constupraverunt. — *nates*, ut Catull. 33, 1—2. et 5—8.: «O furum optime balneariorum, Vibenni pater et cinæde fili . . . Cur non exilium malasque in oras Itis, quandoquidem patris rapinæ Notæ sunt populo et *nates pilosas*, Fili, non potes asse venditare.» — *inscio repente clamatum super*, codices habent *insuper*, sed *insuper* præpositionis vice fungens iungi solet cum accusativo, non cum ablativo, ut hoc loco.

Quare emendavi: super; nam *insuper* ortum esse videtur ex dittographia propter præcedens *clamatum*. — *inscio . . . super*, super dormiente; cf. Lucret. VI. 1247—1248: «Exanimis pueris super exanimata parentum Corpora.» — *Talasio*, aut Talassio, deus nuptialis apud Romanos, ut apud Græcos *Hymen* et *Hymenaeus*; clamari solebat nomen eius tum præcipue, cum nova nupta intravit domum mariti. Hoc loco igitur nuptæ partes agit puer Pediatius. Simile quid narratur de Nerone imperatore impudico; cf. Sueton. Ner. 29: «Doryphoro liberto . . . ita ipse denupsit, voces quoque et heiulatus vim patientium virginum imitatus.» Origo vocis *Talasio* est obscura; cf. Fest. Paul. p. 519. s. v. (ed. *Theuwreuk*): «Talassionem in nuptiis Varro ait signum esse lanificii. Talassionem enim vocabant quasillum, qui alio modo appellatur calathus, vas utique lanificiis aptum.» Horatius videtur ante oculos habuisse Verg. Catal. XII. 7—9: «ducit, ut decet, Superbus ecce Noctuinus hirneam: Talasio, Talasio, Talasio.» Altera vocis forma, *Talassius*, occurrit casu dativo apud Catull. 61, 133—134: «lubet iam servire *Talassio*.»

V. 17—18. *Quid palliasti . . . An* etc., sc. timore subito, culpæ conscientius; cf. Hor. Epist. I. 16, 38: «Mordear opprobrii falsis *mutemque colores?*» et Epop. 7, 13—16. (ad Romanos bella civilia scelestæ moventes): «Furorne cæcus *an* rapit vis acrior *An* culpa? responsum date. Tacent et albus ora *pallor* inficit Mentesque percussæ stupent.» — *femina*, quia cinædus est, vir mollis muliebria patiens; eodem modo Hor. Sat. I. 8, 39. eum pro Pediatio *Pediatiam* nominavit ad hunc ipsum locum alludens Pediatiumque breviter, ut iam ex hoc epodo omnibus notum, perstringens. Nam hunc epodium, etsi Horatius eum non edidit, ex multis apographis tamen notissimum fuisse docent imitationes Tibulli, Ovidii et Priapeorum in his adnotationibus nostris commemoratæ. Cf. Porphyr. ad Hor. Sat. I. 8, 39: «Pediatius . . . mollis evaserat, ut omnem libidinem cum voluptate pateretur. Propter quod eum Horatius *feminino* nomine *Pediatiam* appellavit.» — *An ioci dolent*, iam te pænitet iocorum; cf. Catull. 63, 73: «Iam iam dolet, quod egi, iam iamque pænitet.» — *ioci*, sensu erotico, Hungarice *szerelmeskedések* sive *szerelmi kalando*k, Germanice *Liebschaften* sive *Liebesabenteuer*. Eodem sensu Hor. Epist. I. 6, 65—66: «Si, Mimmernmus

uti censem, sine *amore iocisque* Nil est iucundum, vivas in *amore iocisque*» et ibid. II. 2, 56: «anni Eriputere *iocos* Venerem convivia ludum»; Carm. I. 2, 33: «Erycina ridens, Quam *Locus* circumvolat et *Cupido*.» Cf. Ov. Her. 15, 47—48: «Tunc te plus solito lascivia nostra iuvabat Crebraque mobilitas aptaque verba *ioco*» et A. A. II. 175—176: «cum culta pax sit amica Et *iocus* et causas quidquid amoris habet» et ibid. II. 723—724: «Accedent questus, accedet amabile murmur Et dulces gemitus aptaque verba *ioco*»; Priap. 82, 24—25. (ad mentulam): «Puella nec *iocosa* te levi manu Fovebit adprimetve lucidum femur» et ibid. 45: «*Venus iocosa* molle ruperit latus.» — *facta . . . tua*, facinora, peccata erotica; cf. Catull. 81, 5—6. (de puero delicato): «quem tu præponere nobis Audes et nescis, quod facinus facias.»

V. 19—20. *Non me vocabis* etc., non me facies participem scelerum tuorum. — *spurca per Cotyttia*, codices habent *pulchra*, sed Haupt optime emendavit: *spurca*; origo corruptelæ: haplographia propter præcedens *vocabis*. Dicitur autem *spurcum* de nefanda libidine, ut Catull. 106, 1—2: «tua cana senectus *Spurcata* impuris moribus intereat» et 77, 7—8: «puræ pura puellæ Savia comminxit *spurca* saliva tua» et Cic. Agr. I. 1: «*impurus helluo*» et Cic. De dom. 25: «helluoni *spurcatis-* simo . . . homini egentissimo et facinerosissimo, Sexto Clodio.» Horatius ipse dicit Sat. II. 5, 18: «Utne tegam *spurco* Damæ latus?» — *per Cotyttia*, per dies festos Cotyttus, ut Hor. Carm. II. 3, 6—7: «per dies Festos.» — *Cotyttia*, festa nocturna in honorem Cotyttus, Veneris Thracie (cf. Strab. X. p. 470. et Athen. XII. 8.) etiam Athenis præcipue a feminis celebrata, omnibus nefandæ libidinis generibus fœdissima. Cultum huius deæ etiam apud Romanos receptum fuisse non est verisimile; sed certe usitati erant virorum cinædorumque certis diebus conventus, quos Horatius hoc loco, comediae Eupolidis memor, iocose Cotyttia nominat. Hunc suum locum respexit Hor. Epod. 17, 56—57. (verba Canidiæ ad Horatium): «Inultus ut tu riseris Cotyttia Volgata, sacrum liberi Cupidinis.» Ad utrumque locum alludit Iuven. 2, 91—92: «Talia secreta coluerunt orgia tæda Cecropiam soliti *Baptæ* lassare Cotyton,» ubi scholiasta adnotat: «*Baptæ* titulus libri, quo impudici describuntur ab Eupolide, qui inducit viros ad imitationem feminarum saltantes.

Baptæ autem molles. Quo titulo Eupolis comœdiam scripsit, ob quam ab Alcibiade, quem præcipue perstrinxerat, necatus est.» Eupolidem, veteris comœdiæ Atticæ auctorem, commemorat Horatius etiam Sat. I. 4, 1—5: «*Eupolis* atque Cratinus Aristophanesque poetæ Atque alii, quorum comœdia prisca virorum est. Si quis erat dignus describi, quod *malus* ac *fur*, Quod *moechus* foret aut sicarius aut alioqui Famosus, multa cum libertate notabant.» — *Ad feriatos fascinos*, obscene dictum: intellegendi sunt pedicones festum Cotyttus agentes, quorum libidinibus inserviebat Pediatus. *Fascini* ergo viros significant, ut apud Horatium *cunnus* feminam; cf. Sat. I. 2, 36: «mirator *cunni* Cupiennius albi» i. e. matronarum albis stolis indutaram; notissimus est autem locus ille, quem etiam *Lord Byron*, illustrissimus Britannorum poeta, in *Don Juan*\* celebavit: Sat. I. 3, 107—108: «Nam fuit ante Helenam *cunnus* tæterrima belli Causa.» Horatium ipsum Augustus teste Suetonio (in vita Horatii) «sæpe inter alios iocos purissimum *penem* et homuncionem lepidissimum» appellavit. *feriatos*, festum agentes, ut Hor. Carm. IV. 6, 14—15: «male feriatos Troas.» *Feriatos fascinos* igitur idem significat, quod Epod. 17, 56—57: «Cotyttia . . . sacrum liberi Cupidinis», ubi poeta ad hunc ipsum locum alludit. — *fascinos*, verbum occurrit apud Hor. Epod. 8, 17—18: «Inlitterati num magis nervi rigent Minusve languet fascinum?»

V. 21—22. *Nec te movere lumbulum in crocotula*, codex Bruxellensis habet: «*Nec deinde te movere lumbos in ratulam*.» Ubi *deinde* omisi, quia ex «*te movere*» ortum videtur «*dein* movere», tum «*deinde* movere», ad extremum, cum pronomen desideraretur, «*deinde te movere*.» Pro *lumbos* scripsi *lumbulum* et pro incepto *ratulam* ex Aldina II. *crocotula*; formis enim deminutivis utitur Horatius ad mollitiem muliebrem cinædi significandam ad exemplum carminis Catull. 25, 1—2. et 10—11; «Cinæde Thalle, mollior *cuniculi* capillo Vel anseris *medullula* vel *imula auricilla* . . . Ne laneum *latusculum* manusque *mollicellas* Inusta turpiter tibi flagella *conscriptillent*.» Ergo *latusculo* cinædi apud Catullum respondet *lumbulus* apud Horatium. — *movere lumbulum*, cinædus ad sonum crotalorum et tibiae pera-

\*) Lib. IX. stroph. 55.

git sacram saltationem in templo Cotyttus. Poeta ante oculos habuit Eupolidis Baptas, ubi teste Schol. in Iuven. 2, 91. scriptor: «inducit viros ad imitationem feminarum saltantes.» Cf. Eupol. fr. 77. (ed. Kock), ubi agitur de viro, fortasse de Aleibiade ipso, in honorem Cotyttus saltante: Ὡς κακῶς μὲν τομπανίζεις Καὶ διαφάλλεις τριγώνοις Καπικινεῖς ταῖς κοκώναις Κάνατσίναις τῷ σκέλῃ.\*<sup>1</sup> *Lumbulum movere* de actione saltandi, ut Verg. Cop. 2: «Crispum sub crotalo docta movere latus»; Iuven. 6, 314 - 315: «Nota Bonæ secreta Deæ, cum tibia lumbos Incitat.» Cf. Priap. 19, 1 - 3: «Telethusa circulatrix, Quæ clunem tunica tegente nulla Sistris aptius acriusque motat» et 27, 1 - 2: «Deliciæ populi, magno notissima circu. Quintia vibratas docta movere natr̄s.» Horatius ante oculos habuisse videtur Catull. 16, 10 - 11: «his pilosis, Qui duros nequeunt movere lumbos.» — *in crocotula*, veste feminea, ut nunc quoque in ephemericibus saepe legimus in conventibus hominum, qui nunc dicuntur, *homosexualium* pueros aut iuvenes libidinibus virorum inservientes vestibus indui solere muliebribus. Crocota erat tunica tenuis crocei coloris in luxu feminarum usurpata, cinædo Pediatatio eo magis conveniens, quod interdum etiam Galli, sacerdotes semiviri Cybeles, hac veste utebantur. Horatius ante oculos habuit Cic. De harusp. resp. 21, 44. (de Cludio veste muliebri induito in templum Bonæ Deæ irrepente): «P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis purpureisque fasciolis, a stupro est factus repente popularis.» Etiam Iuven. 2, 97. dicit de cinædo Bonam Deam celebrante: «Cærulea indutus scutulata aut galbina rasa.» — *crocotula*, formam deminutivam sumpsit Horatius ex Plaut. Epid. II. 2, 45. sqq., ubi agitur de luxu feminarum: «Quid istæ, quæ vestei quotannis nomina inveniunt nova! Tunicam rallam, tunicam spissam, luteolum cæsicum, Indusiatum, patagirtam, caltulam aut *crocotulam*.» — *prensis . . . altaribus*, cinædi prius precantes tangunt aram, deinde saltare incipiunt. Cf. Ov. Am. I. 4, 27: «Tange manu mensam, tangunt quo more precantes.»

V. 23 - 26. *Flavumque . . . Thybrim*, ut Hor. Carm. I. 2, 13: «flavum Tiberim» et II. 3, 18: «Villaque flavus quam Tiberis lavit.» — *propter Thybrim*, ad Tiberim, ut Lucret. II.

\*<sup>1</sup>) Ita rectissime scripsit Fritzschius pro tradito: Καὶ πειθεῖς ἀνω σκέλῃ.

30: «Propter aquæ rivum sub ramis arboris altæ.» — *olentes nauticos*, nautas male olentes, ut Hor. Epod. 10, 1—2: «Mala soluta navis exit alite Ferens *olentem Mævium*» et Carm. I. 17, 7. (de hirco): «*Olenitis uxores mariti.*» — *nauticos*, nautas; codices habent *nauticum*, ego emendavi: *nauticos*, quia nautici sæpe appellantur nautæ; cf. Liv. XXVIII. 7: «Philippus supervenit tumultumque etiam ex terra nauticis præbuit»; Plin. N. H. XVI. 70, 1: «Velificant in Pado nautici.» — *nauticos Vocare*, sensu erotico *vocare* significat: aliquem aut aliquam vocare ad rem Venereum peragendam. Hoc loco *cinaedus* vocat nautas, ut libidinibus eorum inserviat. Nautæ erant frequentissimi hospites lupanarium, unde Hor. Epod. 17, 20. (de Canidia): «Amata nautis multum et institoribus.» — *caeno retentae*, ut Hor. Sat. II. 7. 26—27: «hæres . . . Nequiam cæno cupiens evellere plantam.» — *caeno . . . turbido*, codices habent *sordido*, quod ab Horatio scriptum fuisse non est verisimile, cum statim (vs. 28.) sequatur *sordidas*. Emendavi: *turbido*. Hunc enim Horatii locum ante oculos habuisse videtur Verg. Aen. VI. 296. (de ripa Acherontis, quo adpellitur navis Charontis): «*Turbidus hic caeno vastaque voragine gurges.*» Cf. etiam Verg. Ge. II. 137: «*auro turbidus Hermus.*» — *Macraque . . . aqua*, exigua; insolenter dictum.

V. 27—28. *in culinam ad uncta novendialia*, in codicibus legitur: «*in culinam et uncta compitalia*», sed præpositio *in* nequit ad *compitalia* et ad *dapes* (vs. 28.) commode referri neque, quid *compitalia* hoc loco sibi velint, explicari potest. Quare pro et scripsi ad et *compitalia* mutavi in *novendialia*. — *culinam*, cf. Paul. Fest. s. v. (p. 46. ed. Thewrewk): «*Culina* vocatur locus, in quo epulæ in funere comburuntur» et latiore sensu, ut hoc loco, *culina* significat communia sepulcreta pauperum, ut Gromat. vett. 21, 18; 55, 9; 86, 9. docemur; cf. Aggen. comment. in Frontin. p. 60. Gœs.: «Sunt in suburbanis loca publica inopum destinata funeribus, quæ loca *culinas* appellant.» Horatius etiam Sat. I. 8, 39. inducit Pediatum montem Esquilinum frequentantem, ubi prius (vs. 10. eiusdem satiræ): «miseræ plebi stabat commune sepulcrum.» — *ad uncta novendialia*, sacra novendialia dicuntur ea, quæ nono post sepulturam die mortuis offerebantur. *Dapes* comburebantur in sepulcretis, ubi homines pauperes reliquias cenæ ex cinere legentes

vescebantur. Horatius respexit Catull. 59, 1—5: «Bononiensis Rufa Rufulum fellat, Uxor Meneni, saepe quam *in sepulcretis* Vidistis ipso rapere *de rogo cenam*, Cum devolutum ex igne prosequens panem Ab semiraso tunderetur ustore.» Eandem rem tangit Hor. Epod. 17, 46—48. (de Canidia): «O nec paternis obsoleta *sordibus* Neque *in sepulcris pauperum* prudens anus *Novendiales* dissipare pulveres», cui loco optime respondent hic vss. 27—28: «Neque *in culinam* ad *uncta novendialia* Dapesque duces *sordidas*.» Porphyr. ad Hor. Epod. 17, 48. hæc adnotat: «Cinerum reliquias vult intellegi, nam novendiale dicitur sacrificium, quod mortuo fit nono die, quam sepultus est.» Errabant igitur interpres, qui apud Hor. Epod. 17, 48. *pulveres* ad reliquias corporis mortui in rogo combusti referre volebant; agitur enim de cineribus cenæ novendialis ambustæ, quos Canidia misera vescendi causa dissipare solebat. — *uncta novendialia*, anapæstus in quarto pede trimetri iambici; eodem loco tribachys reperitur Hor. Epod. 17, 17: «Alitibus atque canibus homicidam Hectorem» et ibid. vs. 74: «Vectabor umeris tunc ego inimicis eques.» — *uncta*, sordida, ut res ambustæ esse solent; epitheton *unctum* pro *sordidum* est Horatio proprium. Cf. Hor. Epist. I. 14, 21: «*uncta popina*» et Sat. II. 4, 62: «*immundis popinis*»; Sat. II. 2. 68—69: «nec sic, ut simplex Nævius, *unctam* Convivis præbebit aquam»; Sat. II. 4, 78—79: «Magna movet stomacho fastidia, si puer *unctis* Tractavit calicem manibus». — *Dapesque . . . sordidas*, pauperibus et mendicis convenientes; cf. Cic. Ad Att. XII. 27, 1: «Sordida villula ac valde pusilla»; Senec. Epist. 18, 7: «Timoneas cenas et *pauperum* cellas . . . *panis* durus ac *sordidus*», ubi *panis sordidus* significat panem plebeium; Lucan. IV. 396: «sordida tecta» i. e. casæ pauperum; Hor. Carm. II. 10, 6—8: «caret obsoleti *Sordibus tecti*, caret invidenda Sobrius aula.»

V. 29—32. *Quibus repletus ut salivosis labris*, i. e. postquam satur factus est Pediatus, libidinem sentire incipit; cf. Catull. 32, 10—11: «Nam pransus iaceo et satur supinus Pertundo tunicamque palliumque.» — *salivosis labris*, saliva cupidinem (libidinem) significat, ut Senec. Epist. 79, 7: «Aut ego te non novi aut Aetna tibi *salivam* movet. Iam *cupis* grande aliquid et par prioribus scribere.» Cf. Pers. Sat. 5, 112. (de

cupidine lucri): «Nec gluttu sorbere *salivam Mercurialem.*» — *Obesam*, per irrisiōnem: pinguem et crassam. — *Exaestuantis dente solris pantices Udisque lambis savis*, i. e. tu ne in Venere quidem coniugali ita te geris, ut virum decet, sed facis, quod femina tribas feminæ facere solet; tu vir es, tamen λεστράκεις. — *Exaestuantis*, sc. uxoris, quæ sudare incipit in libidinis actu. Eandem rem tangit Horatius Epod. 12, 7—9. (de anibus libidinosis): «Qui *sudor* vietis et quam malus undique membris Crescit odor, cum pene soluto Indomitam properat rabiem sedare.» Ceterum codices habent: *Et aestuantes*, pro quibus inepte positis scripsi: *Exæstuantis*. — dente, rectissime coniecit Eldikius pro *docte*, quæ est codicis Bruxellensis lectio. Agitur enim de cunnilingo, qui prius dentibus titillat κλειτορίδα feminæ, iis ipsis dentibus, quibus paulo ante mortuorum cenam comedit, deinde cunnum lambit. Hunc locum et vs. 36. ante oculos habuit Priap. 78, 1—6: «At di deæque *dentibus tuis escam Negent*, amicæ *cunnilinge* vicinæ, Per quem puella fortis ante nec mendax Et quæ solebat impigro celer passu Ad nos venire, nunc misella *landicæ* (i. e. κλειτορίδος!) Vix posse iurat ambulare præ *fossis*» i. e. vulneribus dente cunnilingi factis. — *solris pantices*, tamquam dissolvis, liquefacis uterus δργασμῷ excitato. *Solvi* enim dicitur apud viros de emissione seminis, apud feminas de δργασμῷ. Hunc locum ante oculos habuit Ov. A. A. III. 793—794: «Sentiat ex imis Venerem *resoluta* medullis Femina et ex æquo res iuvet ista duos» et ibid. II. 681—682: «Odi concubitus, qui non utrumque *resolvunt*: Hoc est, cur pueri tangar amore minus.» Eodem modo apud Horatium ipsum Epod. 12, 7—9. (de anu libidinosa): «*pene soluto* Indomitam rabiem properat sedare.» — *pantices*, venter, viscera, hoc loco: uterus feminæ. Cf. Plaut. Pseud. I. 2, 50: «vino modo madidæ estis: Eo vos vestrosque *pantices* adeo madefacitis, cum sim ego hic siccus» et Priap. 66, 1—4: «Tu, quæ, ne videas notam virilem, Hinc averteris, ut decet pudicam, Nil mirum nisi, quod times videre, Intra *viscera* habere conceupiscis.» Hunc Horatii locum ante oculos habuisse videtur Priap. 82, 26—28: «Bidens amica Romuli senis memor Paratur, inter atra cuius inguina Patet iacente *pantice* abditus specus.» *Pantex* vox ex lingua vulgari petita; remansit in lingua Valachorum: *pântece*. —

*Udisque lambis sariis*, rectissime emendavit Bæhrens; codex Bruxellensis pro *Udisque* habet: *osiculisque*, Helmstadiensis: *osusque*, Arundelianus et Rehdigeranus: *hosusque*. — *Udisque* . . *sariis*. *udis* propter ὄργασμὸν feminæ; Horatius ante oculos habuit Aristoph. Equit. 1284—1286: Τὴν γὰρ αύτοῦ γλώτταν αἰτηγόσαις ἡδοναῖς λυμάνισται Ἐν πατωρείοις λείχων τὴν ἀπόπτυστον δρότον Καὶ μολύνων τὴν ὑπήρηγν καὶ κωκῶν τὰς ἐσχάρας et Catull. 77, 7—8: «Sed nunc id doleo, quod puræ pura puellæ Savia comminxit spurca saliva tua.» Horatium et Aristophanem simul respexit Iuvén. 9, 3—4: «Quid tibi cum vultu, qualem deprensus habebat Ravola, dum Rhodopes *uda* terit inguina *barba*.» Horatium imitatur etiam Tibull. I. 8, 37—38: «Et dare anhelanti pugnantibus *umida* linguis *Oscula*.»

V. 33—36. *Nunc laede, nunc lacesse, si quicquam rales*, cf. supra vs. 8: «quid me incitas» et Hor. Epod. 6, 3—4: «Quin hue inanes, si potes, vertis minas Et me remorsurum petis?» — *Et nomen abscribo tuum*, in epodis editis nomine notavit Horatius feneratorem Alfium (2, 67.) et poetam Mævium (10, 2.); falso nomine usus Canidiam posuit pro Gratidia 3, 5. et 17. In homines innominatos invehitur 4., 6., 8. et 12. Hunc locum ante oculos habuit Ovid. Ib. 51—54: «Et neque *nomen* in hoc, nec dicam *facta* (cf. vs. 18. huius epodi) libello, Teque brevi, qui sis, dissimulare sinam. Postmodo, si perges, in te mibi liber *iambus* Tineta Lycambeo sanguine tela dabit» et ibid. vss. 643—644: «Postmodo plura leges et *nomen* habentia *verum*. Et *pede*, quo debent acria bella geri.» — *Cinæde Pediati*, tuæ *liquere opes*, ita emendavi versum in codicibus mirum in modum corruptum; Bruxellensis enim habet: «Cine delucci iam te liquerunt opes», Monacensis: «cinæ dulcissimæ et liquere opes.» Origo corruptelæ: pro *Pediati* legebatur *Peduci*.\* Versus igitur eandem habebit formam metricam, quam etiam vs. 13. habet: «Vel acta puerō cum viris convivia», i. e. in primo pede erit *iambus*, in secundo *tribrachys*, in tertio *spondeus*, in quarto *iambus*, in quinto *spondeus*. An ponendum cognomen scribendumque: «*Cinæde Lusce, iam tuæ liquere opes*? Cognomen *Lucus* occurrit etiam apud Hor. Sat. I. 5, 34. — *Cinaede Pediati*, ut Catull.

\* ) Eodem modo *Ciris* vs. 374. «*furialia*» corruptum est in «*frigidula*».

25, 1: «Cinæde Thalle.» Cf. Hor. Sat. I. 8, 37—39. (Priapus de se): «Mentior at si quid, merdis caput inquinat albis Corvorum atque in me veniat mictum atque cacatum Helluo vel *fragilis Pediatis furve Voranus*,» ubi Porphyrio adnotat: «Pediatus... mollis evaserat... propter quod eum Horatius feminino nomine *Pediatiam*, non *Pediatum* appellavit; ob eandem causam et *fragilem* dixit, id est mollem.» Eodem modo *Egiliam* pro *Egilio* posuit Opimius secundum Cic. De orat. II. 68, 277: «Quid tu, *Egilia mea*? Quando ad me venis cum tua colu ac lana?» — *tuæ liquere opes*, locum ante oculos habuit Ov. Ib. 418—422: «Utque per alternos unda labente recursus Subtrahitur presso mollis harena pedi, Sic tua nescio qua semper *fortuna liquefacat* Lapsaque per medias effluat usque manus» et Tibull. I. 6, 53—54: «*labentur opes*, ut vulnere nostro Sanguis.» — *liquere*, ex *liqueresco*: tamquam liquefiunt, dilabuntur. Eadem perfecti forma Plaut. Cas. 295: «in sortiendo sors *deliquerit*» et Varr. apud Non. p. 334: «aurum *colliquisset*.... quod æs ferrefactum *colliquisset*.» — *Fameque genuini crepant*, ut Plaut. Men. V. 5, 27: «Intestina mihi, quando esurio, crepant.» — *genuini*, tres syllabæ: dentes molares; eadem synizesis Hor. Sat. II. 2, 76. et Epist. I. 1, 108: *pitvita* pro *pituita*.

V. 37—40. *Videbo habentem praeter ignavos nihil Fratres* etc., Horatius ante oculos habuit Catull. 23, 1—4: «Furi, cui neque servus est neque arca Nec cimex neque araneus neque ignis, Verum est pater et noverca, quorum Dentes vel silicem comesse possunt.» — *ignavos*... *Fratres*, qui in domo Pediati vixerunt et ab eo alebantur. — *iratum Iovem*, iratum Iovem aut iratos deos habere dicebantur, qui misere ac sordide vivebant; cf. Hor. Sat. II. 3, 8: «Iratis natus paries dis»; inscript. apud A. de *Romanis*: Le antiche camere Esquiline (Romæ, 1822.): «Duodeci deos et Dianam et Iovem optimum maximum habeat iratos»; Pers. Sat. IV. 27. (de avaro et sordido): «Hunc ais, hunc dis iratis genioque sinistro»; Phædr. IV. 19, 15. (de dracone thesaurum custodiente avaroque simili): «Dis est iratis natus, qui est similis tibi.» — *Scissumque ventrem*, tamquam uterum feminæ; similiter podicem pathici *vulvam* nominat Pers. Sat. 4, 35—36: «Hi mores, penemque arcanaque lumbi Runcantem populo marcentes pandere *vulvas*»; cf. Juven.

2, 10: «Inter Socraticos notissima *fosse cinædos.*» — *Scissumque*, proprie dicitur de actu pedicandi; ex. Catull. 112, 1—2: «*Multus homo es, Naso;* neque tecum multus homo est, qui Te *scindit:* Naso multus es et *pathicus.*» Cf. Priap. 26, 10. (Priapus de se): «*Fures scindere quamlibet valentes*» et 77, 23: «*Furum scindere podices solebam.*» — *hirneosi*, pro: *herniosi*, ut Verg. Catal. XII. 8: *hirneam pro herniam.* — *patrui*, qui, ut etiam ignavi fratres supra memorati, in domo Pediatrii vivebat. — *Pedes inedia turgidos*, versum imitatur Ov. Met. VIII. 807—808. (de Fame personificata): «Auxerat articulos macies genuumque *tumebat Orbis et immodico prodibant tubere tali*», ubi Haupt rectissime adnotat. «Die Magerkeit der Glieder liess für den Anblick die Gelenke stärker hervortreten.» Horatius respexit Hesiod. Scut. 264—266: Πάρ δ' Ἀγλὸς εἰστήκει ἐπισμυγερή τε καὶ αἰνή, Χλωρὴ δύσταλέη, λιμῷ καταπεπτυῖα, Γούνοπαχῆς. — *Pedes . . . turgidos*, cf. Hor. Epod. 8, 9—10: «*Venterque mollis et femur tumentibus Exile suris additum.*» — *inedia*, tres syllabæ per synizesin, ut Hor. Epod. 12, 7: «*Qui sudor vrietis et quam malus undique membris*», ubi legendum: *vjetis.*

\* \* \*

Videtis iam, auditores doctissimi, totam indolem elocutionemque huius epodi adeo Horatianas esse, ut ex eo plures loci Horatiani accuratius, quam huc usque factum est, possint explicari. Sed, quod maius est, totum etiam carmen Horatianum huc usque parum intellectum nova hinc illustratur luce. Nam exordium palinodiae illius notissimæ, odes 16. libri I.:

O matre pulchra filia pulchrior,  
Quem criminosis cumque voles modum  
Pones iambis, sive flamma  
Sive mari libet Hadriano,

nunc demum explicabile nobis factum est. Agitur enim hoc loco de iambis in epodorum libro non editis, cuius apographa, quæ conquiri poterant, feminæ cuidam plucherrimæ misit Horatius delenda; nam epodos publici iuris factos omnibusque notos frustra ei misisset. *Criminosi* certe *iambi* hoc loco commemorati commode possunt referri ad hunc epodum *crimina Pediatrii* con-

tinentem, ubi vs. 18. legimus: «An *facta cognoscis tua?*» Vss. autem odes 5—9.:

Non Dindymene, non adytis quatit  
Mentem sacerdotum incola Pythius,  
Non Liber æque, non acuta  
Si geminant Corybantes æra,  
Tristes ut *iræ*,

alludere videtur auctor ad vs. epodi 5.:

Valent, valent mihi *ira* et antiquus *furor*;

ad *furorem* autem hic commemoratum referas licet vss. odes 22—25:

... me quoque pectoris  
Temptavit in *dulci iuventa*  
Fervor et in celeres iambos  
Misit *furentem*:

vss. autem odes 26—28.: «dum mihi Fies recantatis amica *Opprobriis*» conferri possunt cum vss. 7—32. epodi, ubi gravissima iaciuntur opprobria in Pediatium et uxorem eius. Ergo *mater* illa *pulchra filiae pulchrioris* potuit esse *uxor* Pediatii per irrisiōnem *obesa* (vs. 30.) dicta. Quæ mater illo tempore, quo Horatius hunc epodium scripsit, potuit habere filiam pubescentem fortasse non ex cinædo illo, sed ex marito priore conceptam, cui Horatius iuvenis domum Pediatii frequentans olim placuisse videtur. Poeta autem novem aut decem post annis hac ode alloquitur feminam matura iam pulchritudine fulgentem recantatisque saltem opprobriis in matrem iactis — de patre enim nulla mentio — rogat eam vss. 27—28.: «mihi Fias . . . amica . . . *animumque reddas*.»

\* \* \*

Scripsisse videtur Horatius hunc epodium, ubi Brutum (vs. 4.) *victorem* appellat seque bello Philippensi interfuisse glorians commemorat, antequam a Vergilio in domum Mæcenatis vere anni 38. inductus esset. Adnumerandus est igitur verisimiliter antiquissimis Horatii carminibus. Sequitur hic multo fidelius,

quam postea, *animos numerosque Archilochi*; res autem nonnullas mutuatur a Catullo et a scriptoribus veteris comœdiæ, ab Eupolide et Aristophane. Scribit re vera iuvenili fervore incitatus, nondum mitigatus philosophia morali. Carmen tradidisse videtur fautori suo, Vergilio, cuius post mortem ex scriniis relictis sine ulla selectione editus liber *Catalepton* nobis servavit epodum carminibus Vergilianis insertum atque ex eo tempore sine minima suspicionis umbra a tota antiquitate Vergilio tributum. In quo maxime eo gaudemus, quod carmen illud ipsum, quod auctor non solum non ediderat, sed postea etiam apographa eius delenda curaverat, ad nos tamen pervenit et Horatio argumentis luculentis potest vindicari. Quod igitur inde ab anno 13. a Chr. n., quo Epistulæ libri secundi ab auctore ipso editæ sunt, non evenit, id evenit nunc: poemata Horatii aucta sunt carmine integro. Habemus *epodum duodevicesimum* ex Appendice Vergiliana in Appendicem editionum Horatii transferendum.

\* \* \*

Cum hæc scripsisset, in mentem mihi venit elegia notissima Nestoris nostri, Pauli *Gyulai*, qui nunc quoque inter nos sedet, carmen illud, quod olim puerilibus annis dulcedine versuum captus edidiceram, quo certe nemo scripsit de Horatio quidquam pulchrius. Nam, cum Russorum tyrannus libertatem nostram avitam atque paulo ante recuperatam pede barbaro conculasset, Horatio lecto sanctissimoque permotus dolore ita exclamavit\*) poeta nobis carissimus:

O Romam, Romam, perpessam turpia Romam!  
At Flaccus Veneres concinit, ecce, lyra.  
Candida num splendent Capitolia lumine prisco?  
Non fert indignum libera Roma iugum?  
Heu, ubi avita fides, libertas dulcis ubi nunc?  
Mortalis colitur, pro pudor, æde deus!  
Ingeniis magnis celebratur fama tyranni;  
Interiit populus, sordida turba manet.

\*) Carmen, quod ex Hungarico in Latinum converti, inscribitur:  
*Horatius olvasásakor i. e. Cum legerem Horatium.*

An fallor mærens et nil nisi iussa tributa  
 Persolvit vates Cæsaris arma sonans?  
 Totam cum videas animum uni vendere Romanum,  
 Immunis cur sit, quisque ferit citharam?  
 Forsan, dum cantat ludosque iocosque poeta,  
 Immensus lacerat pectora fida dolor  
 Et secum tacitus: «Bruti nunc urbe superba  
 Nil præter Venerem, gaudia, vina licet.»

«Cæcus amor nostri, metus atque infanda libido,  
 Quidquid erat sancti, cordibus expulerant.  
 Nil es iam virtus, nisi verbum, nomen inane;  
 Somnus libertas, prendere quem nequeas.  
 Sola regat rebus dubiis prudentia mores,  
 Discantur monitus, docte Epicure, tui:  
 Mitte Urbis curam; fallentis semita vitæ  
 Te beet: æquo animo, quidquid erit, tolera.»

«Culmina Soractis, en adspice, mix tegit alta,  
 Ingere ligna foco, funde Falerna, bibe;  
 Venturi secreta ævi, fuge querere, quæ sint,  
 Serius ocius, heu, pallida mors veniet.  
 Gaudie hodie, dum fata sinunt tristesque sorores,  
 Crinibus et nitidis myrtlea serta geras,  
 Nec tu sperne choros, cantum, convivia, amores:  
 Summa bona hæc credas, quæ tibi vita dedit.»

«Felix, qui didicit vitare negotia longe  
 Vivere scitque sibi rura paterna colens!  
 Absint divitiae, paupertas absit acerba:  
 Tu mediæm quereras, aurea namque, viam.  
 Sæpius excelsos feriunt vaga fulgura montes  
 Deiecta et vento populus alta ruit:  
 Omnia tuta virent Tiburni valle reducta,  
 Arbusta et flores molle sonant zephyro.»

«Quos præbent artes, rerum et natura lepores,  
 Si sapis et calles vivere, id omne tuum est.  
 Quanque iuvat lenes noctu repetisse susurros  
 Furtivæ Veneris tempore composito!  
 Dic, utram malis, Pyrrhamne Chloenne tenellam?  
 Aetas, dum loquimur, livida iam fugiet:  
 Fructum præsentis tu percipe providus horæ,  
 Venturo metuens credere carpe diem!»

Gaudia tu vitæ cantas, divine poeta!  
 Tristem animum dulci parce movere sono!  
 Nos quoque sensimus, heu, deflenda clade Philippos,  
 Nos quoque vidimus, o, cuncta perisse bona.  
 Tempora nostra tuis componere forte licebit:  
 Aetas hæc nova iam cœperat esse senex,  
 Vulnera sed torrent, mæremus corde profundo,  
 Est sanctus nobis semper critque dolor!

Rebus in adversis discamus vivere fortis!  
 Carcer, vincula, mors non tibi summa mala!  
 Devictis pulchrum causa confidere iusta:  
 Magnis iam cœptis fata viam invenient.  
 Decisas pennas temptant relevare poetae  
 Iamque monent segnes iamque iterum astra petent:  
 Persta atque obdura, noli spem ponere, pectus,  
 Ex humili luctu surge age, surge, anime!

Ita cecinisti olim, Magne Senex, Academiæ nostræ per quinquaginta iam annos decus! Quod autem iam tune divino vatis presagiisti animo, philosophiam Horatii nihil esse aliud nisi lenimen luctus acerbi, id fuisse verissimum nunc demum patet. Quo magis me iuvat Tibi ostendisse Horatium inventute fervidum, amissæ libertatis dolore cruciatum: non sapientem Epicureum, non Mæcenatis amicum, non laudatorem Augusti, sed Bruti militem.

\* \* \*

Ad finem perveni, Academia Amplissima! Alma philologiæ Musa constantem meam erga se fidem tanto munerata est præmio, quantum nedum vir unquam sperare, sed ne iuvenis quidem olim somniare ausus sum. Quod si mecum ipse reputo, animum novitate inventi adhuc confusum divina quadam voluptate mixtus horror occupat, qui non gaudio me indulgere sinit, sed potius querere iubet, quonam placem sacrificio cæli invidiam mihi in tantum felicitatis fastigium evepto imminentem. Quare, si quid ex hoc invento in me redundat gloriæ, id totum permitto Academiæ Litterarum Hungaricæ, quæ me quindecim abhinc annis adulescentulum sociorum numero adscribi iussit eoque ex tempore mea studia auctoritate sua protegit summaque liberalitate sustentat atque fovet, cui debeo, quod severa artis disci-

plina roboratus maiores nido potui extendere pennas. Hac igitur pulcherrima vitæ hora rediens ex nemore Musarum, ubi «avia peragravi loca nullius ante trita solo», integras accessi fontes plenoque pectore hausit, quam ibi composuit ex floribus prorsus ignotis coronam, eam offero conditori huius Academiæ, maximo illi Hungarorum, Divis Manibus *Széchenyii* nostri!

irodalom között. 20 f. — V. Barna F.: Néhány ósműveltségi tárgy neve a magyarban. 60 f. — VI. Tettjy: Rankavis Kleon uj-görög drámája. 60 f. — VII. Imre S.: A nevekük ésük személyragairól. 40 f. — VIII. Ballagi M.: Emlékbeszéd Székács József t. tag fölött. 40 f. — IX. Vámbéry: A török-tatár nép primitiv culturájában az égi testek. 20 f. — X. Wolf Gy: Bátori László és a Jordánszky-codex bibliafordítása. 20 f. (1877—1879.) — **VIII. k.**, I. Dr. Ábel J.: Corvin-codexek. 1 K 20 f. — II. Barna F.: A mordvaiak pogány istenei s ünnepi szertartásai. 1 K. — III. Dr. Genetz A.: Orosz-lapp utazásomból. 40 f. — IV. Gr. Zichy Á.: Tanulmány a japáni művészetről. 2 K. — V. Szász K.: Emlékbeszéd Pázmándi Horvát Endre 1839-ben elhunyt r. t. fölött. 20 f. — VI. Hunfalvy P.: Ukkonpolhár. A régi magyar jogi szokásnak egyik töredéke. 40 f. — VII. Mayer A.: Az ugynevezett lágy aspiráták phonetikus értékéről az ó-indben. 1 K 20 f. — VIII. Dr. Ábel J.: Magyarországi humanisták és a dunai tudós társaság. 1 K 60 f. — IX. Dr. Pozder K.: Ujperza nyelvjáráskor. 1 K. — X. Imre S.: Béregszászi Nagy Pál élete és munkái. 60 f. (1879—1880.) — **IX. k.**, I. Budenz J.: Emlékbeszéd Schieffner Antal k. tag felett. 20 f. — II. Gr. Zichy Á.: A Boro-Budur Jáva szigetén. 80 f. — III. Ballagi M.: Nyelvünk újabb fejlődése. 40 f. — IV. Vámbéry: A hunrok és avarok nemzetisége. 60 f. — V. Hunfalvy P.: A Kún- vagy Petrarka-codex és a kúnok. 60 f. — VI. Szász K.: Emlékbeszéd Lewes Henrik György külső tag felett. 10 f. — VII. Barna F.: Ós vallásunk főistenei. 80 f. — VIII. Dr. Ruzzicska K.: Schopenhauer aesthetikája. 20 f. — IX. Barna F.: Ós vallásunk kisebb isteni lényei és áldozat szertartásai. 60 f. — X. Dr. Kont I.: Lessing mint philologus. 60 f. — XI. Bogisich M.: Magyar egyházi népének a XVIII. századból. 1 K. — XII. Simonyi: Az analogia hatásáról, főleg a szóképzésben. 40 f. (1880—1881.) — **X. k.**, I. Simonyi: A jelentéstán alapvonalaí. 60 f. — II. Heinrich G.: Etzelburg és a magyar húmonda. 40 f. — III. Hunfalvy P.: A M. T. Akadémia és a szuomi irodalmi társaság. 40 f. — IV. Joannovics: Érتسük meg egymást. 60 f. — V. Ballagi M.: Baranyai Decsi János és Kis-Viczay Péter közmondásai. 20 f. — VI. Dr. Pecz V.: Eurípides tropusai összehasonlítva Aeschylus és Sophokles tropusaival. 1 K 20 f. — VII. Szász K.: Id. gróf Teleki László ismeretlen versei. 20 f. — VIII. Bogisich M.: Cantionale et Passionale Hungaricum. 60 f. — IX. Jakab E.: Az erdélyi hirlapirodalom története 1848-ig. 1 K. — X. Heinrich G.: Emlékbeszéd Klein Lipót Gyula kültag felett. 80 f. — XI. Bartalus: Ujabb adalékok a magyar zene történelméhez. 80 f. — XII. Bánóczi J.: A magyar romanticismus. 20 f. — XIII. Bartalus L.: Ujabb adalék a magyar zene történelméhez. 80 f. (1882.) — **XI. k.**, I. Hunfalvy P.: Ugor vagy török-tatár eredetü-e a magyar nemzet? 40 f. — II. Telfy: Ujgörög irodalmi termékek. 80 f. — III. Telfy: Középkori görög verses regények. 60 f. — IV. Dr. Pozder K.: Idegen szók a görögben és latinban. 1 K. — V. Vámbéry: A csuvaskorl. 60 f. — VI. Hunfalvy P.: A számlálás módjai és az év hónapjai. 40 f. — VII. Majláth B.: Telegili Miklós mester magyar katechismussa 1562-ik évből. 20 f. — VIII. Dr. Kiss I.: Káldi György nyelve. 1 K. — IX. Goldziher: A muhammedán jogtudomány eredetéről. 20 f. — X. Barna F.: Vámbéry Ármin «A magyarok eredete» című műve néhány főbb állításának bírálata. 1 K 20 f. — XI. Ballagi M.: A nyelvfejlődés történelmi folytonossága és a Nyelvőr. 40 f. — XII. Vámbéry: A magyarok eredete és a finn-ugor nyelvészet. I. 60 f. (1883—1884.) — **XII. k.**, I. Dr. Kont I.: Seneca tragédiái. 1 K 20 f. — II. Dr. Nagy S.: Szombatos codexek. 60 f. — III. Szász K.: A reflexív és vallásérkölcsi elem a költészethez s Longfellow. 60 f. — IV. Kúnos és Munkácsy: A belvízszonyragok használata a magyarban. 1 K. — V. Vámbéry: A magyarok eredete és a finn-ugor nyelvészet II. 1 K. — VI. Wolf Gy.: Kiktől tanult a magyar irni, olvasni? 1 K. — VII. Thury J.: A kasztamuni-török nyelvjárási. 1 K. — VIII. Telfy: Nyelvészeti mozgalmak a mai görögöknel. 40 f. — IX. Kálmáni L.: Boldogasszony, ösvallásunk istenasszonya. 40 f. — X. Brassai: A mondát analízusa. 1 K 20 f. — XI. Gr. Kuun G.: A kunok nyelvéről és nemzetiségről. 80 f. — XII. Ábel J.: Isota Nogarola. 1 K. (1884—1885.) — **XIII. k.**, I. Heinrich G.: Kudrun, a monda és az eposz. 80 f. — II. Barna F.: A votják nép multja és jelene. 60 f. — III. Goldziher I.: Palesztna ismeretének haladása az utolsó bárom évtizedben. 80 f. — IV. Ábel J.: A homeroszi Demeter-hymnusról. 1 K. — V. Barna F.: A votják pogány vallásáról. 40 f. — VI. Szarvas Gábor: A régi magyar nyelv szótára. 20 f. — VII. Budenz J.: Egy kis viszhang Vámbéry Ármin ur válaszára. 40 f. — VIII. Szily K.: Ki volt Calepinus magyar tolmácsa. 20 f. — IX. Bogisich M.: Szegedi Lénárt énekeskönyve. 1 K. — X. Joannovics: Szórendi tanulmányok. I. rész. 60 f. — XI. Pecz V.: A kisebb görög tragikusok tropusai 20 f. — XII. Telfy: Heraclius. Rankavis Leon hellén drámája. 60 f. (1885—1886.) — **XIV. k.**, I. Ábel J.: Az ó- és középkori Terentius biographiák. 80 f. — II. Joannovics: Szórendi tanulmányok

II. rész. 80 f. — III. Barna F.: A mordva nép házassági szokásai. 60 f. — IV. Télfy: Jelentés ujhellen munkákról. 60 f. — V. Kálmány L.: Mythologiae nyomok a magyar nép nyelvben és szokásaiban. 20 f. — VI. Putnoky M.: Etymologicum magnum Romanie. 40 f. — VII. Simonyi: A magyar szótők. 60 f. — VIII. Simonyi: A nyelvujjatás történetéhez. 40 f. — IX. Brassai: Szórend és accentus. 80 f. — X. Télfy: Három francia hellenista és a volapük. 40 f. — XI. Némethy G.: Enhemeri reliquiae. 1 K 20 f. — XII. Világ B.: Gáti István steganographiája, kapcsolatban a modern stenographiával. 80 f. (1887—1889.) — XV. k. I. Dr. Schreiner M.: Az iszlám vallásos mozgalmai az első négy században. 60 f. — II. Haraszti: André Chénier költészete. 3 K. — III. Simonyi: Kombináló szóalkotás. 80 f. — IV. Hunfalvy P.: Az aranyosszéki mohácsi nyelvemlékek. 30 f. — V. Zichy A.: Psychiatria és politika. 20 f. — VI. Télfy: Ujabb hellén munkák és a hellén nyelvtanítás. 1 K 20 f. — VII. P. Theuwreuk E.: A magyar zene tudományos tár-gyalása. 40 f. — VIII. Asbóth O.: A hangsúly a szláv nyelvekben. 1 K 60 f. — IX. Simonyi: A nyelvujjatás és az idegenszerűségek. 1 K 20 f. — X. Télfy: Kisfaludy Károly «Mohács»-a görögül. 80 f. — XI. Dr. Kegl S.: Tanulmányok az újabbkori persa irodalom történetéből. 3 K. — XII. Gróf Kuun G.: Ujabb adatok a kún Petrarca-Codexhez. 30 f. (1889—1892.) — XVI. k. I. Finály: A besztercei szószedet. 4 K. — II. Goldziher I.: A pogány arabok költészetének hagyománya. 1 K 20 f. — III. Asbóth O.: A szláv szók a magyar nyelvben. 90 f. — IV. Pecz V.: Paraspondylos Zotikos költeménye a várnai csatáról. 60 f. — V. Télfy: Uj-görög munkák ismeretése. 40 f. — VI. Télfy: Két uj-görög nyelvtan magyarul és a mai görög verstan. 60 f. — VII. Szamota I.: A Murmelius-féle latin-magyar szójegyzék 1533-ból. 1 K. — VIII. Hegedüs I.: Guarinus és Janus Pannonius. 1 K 60 f. — IX. Dr. Kunos I.: Kisázsiai török dialektusairól. 90 f. — X. Hegedüs I.: Dicsének Jacobus Ant. Marcellus. Irita Janus Pannonius. (1892—1897.) — XVII. k. I. Dr. Maher: Egyptologiae tanulmányok a choronologia köréből 30 f. — II. Kúnos: Nasreddin hodsa tréfái. 3 K. — III. Kegl S.: A perzsa népdal. 90 f. — IV. Melich J.: Melyik nyelvjárásból valók a magyar nyelv régi német jövevényiszavai? 1 K 20 f. — V. Kozma I.: Brassai Sámuel mint æsthetikus és műkritikus. 2 K. — VI. Dézsi L.: Sz. Agoston reguláinak magyar fordítása Caelius (Bánffy) Gergelytől. 2 K. — VII. Vadnai: Csakó Zsigmond ismeretlen drámai költeménye. 30 f. — VIII. Gyomlay: Szent István veszprémvölgyi donatiójának görög szövegéről. 1 K 20 f. — IX. Maher: Adalékok az egyptomi nyelvhez. 60 f. — X. Id. Szinnyei J.: Az első magyar bibliographus. 60 f. (1898—1901.) — XVIII. k. I. Gyomlay: Böles Leo Taktikája mint magyar történeti kútforrás. 1 K. 20 f. — II. Katona L.: Temesvári Pelbárt Példái. 1 K 20 f. — III. Némethy G.: A római elegia viszonya a görögöz. 48 f. — IV. Thúry J.: A «Béhdset-ül-Lugat» csagatáj szótár. 1 K 20 f. — V. Katona L.: Alexandriai sz. Katalin legendája középkori irodalmunkban 1 K 60 f. — VI. Dr. Cserép J.: Határidőszámítás a rómaiaknál. 40 f. — VII. Thúry J.: Török nyelvemlékek a XIV. század végeig. 1 kor. — VIII. Szilasi M.: Adalékok a finn-ugor palatalis mássallhangzók történetéhez. 1 kor. — IX. Kegl S.: Szenáji. 3 kor. — X. Katona L.: A Teleki-codex. 1 kor. 60 f. — XIX. k. I. Bayer: Egy magyar Eszther-dráma. 60 f. — II. Haraszti: A renaissance francia színköltészete és a színzserűség. 1 kor. 20 f. — III. Thúry J.: A közép-ázsiai török irodalom. 1 kor. 50 f. — IV. Melich J.: A brassói latin-magyar szótár-töredék. 60 f. — V. Pecz V.: A classica philologia jövője. 60 f. — VI. Hegedüs I.: Petrarca «Szózatja». 50 f. — VII. Kúnos I.: Ada-Kaléi török népdalok, fordítással és jegyzetekkel. 2 kor. — VIII. Cserép J.: C. Julius Cæsar commentarijainak folytatásai és Asinius Pollio. 80 f. — IX. Melich J.: Szikszaï Fabricius Balázs latin-magyar szójegyzéke 1590-ből. Ara 3 kor. — X. Kegl Sándor: Dselál ed-Din Rúmi négy soros versei. Ara 1 korona 50 fillér. — XX. k. I. Ferenczi Zoltán: Petőfi és a socializmus. Ara 1 korona. — II. Schmidt J.: Az italiai nyelvesselád helyzete az indogermán nyelvek körében. Ara 1 kor. 50 f. — III. Asbóth Oszkár: Szláv jövevényiszavaink. (I. rész.) Ara 2 kor. — IV. Melich J.: Révai Miklós nyelvtudománya. Ara 1 kor.

*Megrendelhetők, a mennyiben még készletben vannak, a Magyar Tud. Akadémia Könyvkiadó-hivatalában Budapest, V. Akadémia-utcza 2.*